



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**  
**Coloniae Agrippinae, 1657**

Decretvm XXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

validatione ejusmodi matrimoniorum ad Nos recurrant.

### DECRETVM XXIII.

**G**Raves ad Nos delatæ querelæ, prout in ipsa visitatione invenimus, valde gravari Ecclesias ab Archidiaconorum Commissariis. Hinc, ne deinceps subditis aut Ecclesiis graves sint, volumus, ut, si sumptus trium aut ad summum quatuor Dalerorum Imperialium pretium excedant, non ex bonis Ecclesiæ, pauperum, & patrimonii Christi, sed ex multis acceptis, deinceps præstent. Prout desuper Archidiaconorum & Commissariorum conscientias oneramus.

### DECRETVM XXIV.

**S**I alicubi hæctenus moris fuerit, festo Corporis Christi, aut Patroni, vel Dedicacionis Ecclesiæ, haberi convivia & compositio- nes, eæ tollantur; & ne sumptus accrescant, idcirco volumus, Pastori, ædituo, ludimagistro, ædilibus, hæctenus ad dicta convivia ire solitis, dari certam ex redditibus Ecclesiæ pecuniam; quam cum Pastore determinabunt Decani.

### DECRETVM XXV.

**C**VM in visitatione adverterimus, Parochorum & Beneficiorum Curias plurimas aut collapsas aut ruinæ proximas; eapropter serio mandamus Decanis, tam Cathedralis & Collegiatarum, quam ruralibus, ut, juxta Constitutiones Synodales, anno MDCXXX, cap. VI, editas, curias visitent, & reliqua, dicto capite de visitatione & Synodis privatis sancita, diligenter observent.

### DECRETVM XXVI.

**C**VM Archidiaconi oculi sint Episcopi, in quos ille suas curas declinet; hinc solite curent, per se ipsos visitare curæ suæ commissas; si quando tamen occupationum necessitas eos præpediat, per nullos alios expleri suas vices curent quam eos qui à Nobis admissi fuerint; prout in nupera Synodo statuimus.

### DECRETVM XXVII.

**C**VM in Synodis prioribus, in certas regiones & Decanatus Dicecesin Nostram divisimus, interea verò appareat, eos, tam ob temporum varietatem, quam ob Parochiarum quarundam magis opportunum situm, non nihil immutandos esse; sequentia, hac super re, statuimus; reliquis in suo vigore man- turis.

Ad primum itaque Emilandia, cis Amifin situm, Decanatum, spectabunt sequentes Parochiæ & Capellæ:

Hafeluna.	Herflacke.
Bockelo.	Sogelen.
Berßen.	Laten.
Holte.	Borgel.
Werlte.	Wahen, Capella.
Lorpe.	Fresenberg, Capella.

Decanum vero nominamus D. Engelbertum Moseler, Pastorem Hafelunensem & Canonicum Wildeshufanum; Camerarium vero Dominum Everhardum Ioannis, Pastorem in Bockelo.

Ad secundum verò, trans Amifin potissimum situm, Decanatum, spectabunt sequentes Parochiæ:

Meppen.	Rhede.
Aschendorff.	Steinebiel.
Hefce.	Dorpe.
Wefewe.	Geist, Capella.
Haren.	Grotten Wullen, Capella.
Landecke.	
Heede.	

Decanum verò nominamus R. P. Albertum Albachten, Ordinis S. Benedicti professum in Iburg, & Pastorem Meppenem; Camerarium autem D. Joannem Wesselinck, Pastorem in Haren.

Cum vacet Decanatus Vordenfis, ibidem designamus in novum Decanum R. P. Joannem Zurstrassem Societatis Iesu, Pastorem ibidem.

*Mox subjunxit Secretarius:* Accedant igitur & solitum præstent juramentum Decanorum ruralium, qui de novo ad hoc officium sunt promoti. *Quod ipsum, tactis SS. Evangeliiis, emisissent omnes ii, qui ad novum officium sunt promoti, aut certe antehac idem non præstiterant.*

### DECRETVM XXVIII.

**O**Mnes & singuli ludimagistri & æditui, à quocunque constituti, non prius ad officium admittantur, quam per Nos aut per Nostrum Vicarium approbentur & fidei professionem edant.

### DECRETVM XXIX.

**C**VM, multa ab Ecclesiis abalienata, & à potentioribus derenta esse, deprehendantur; eum in finem Officiale Nostrum determinamus, qui ex speciali Nostra commissione, præter communem juris ordinem, sine strepitu judicii, de plano, inspecta sola facti veritate, rem totam cognoscat & decidat; pro Actore verò, seu Recuperatore, Franciscum Wennemarus ab Ascheberg, Canonicum Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis Osnaburgi; qui, bono zelo ductus, pro moderato salario